



24
5



16

Z 6
7984

DK
249
50

ORATIO PARENTALIS,
DE VITA ET OBITU
LEONHARTI HÜTTERI,
SS. TH. DOCTORIS ET IN ACAD.
Witteb. quondam Professoris primarij d. XXIII.
Octobris anno M. DC. XVI.

piè defuncti,
*In qua nonnulla de Theologiæ præstantia,
& studio ejus rectè adornando bre-
viter inseruntur,*

Ipso die Concordiæ, qui est XVIII Februarij,
Magno Luthero emortualis,

Habita VVitteberga à

BALTH. MEISNERO Th. Doctore
& Professore P.

H. V. 17

16



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

17

BIBLIOTHEK
PONICKAV

VVitteberga, Sumptibus & Typis Johannis Gormanni.

14



ORATIO PARENTALIS

DE VITA ET OBITU

JOHANNIS HARTII LEUTNERI

THEOLOGICI ET IN ACAD.

PROFESSORIS ORDINIS PASTORIS TITULI D. XXII

OBITU ANNO M. DC. LXXV

IN ACADEMIA THEOLOGICA PASTORIS

ET IN ACADEMIA PASTORIS

PROFESSORIS TITULI D. XXII

OBITU ANNO M. DC. LXXV

JOHANNIS HARTII LEUTNERI

THEOLOGICI ET IN ACAD.



17

16

*Nobilibus, Amplissimis, Autoritate,
Prudentiâ & virtute spectatissimis
Viris,*

Dn. JOHANNI CHRISTOPHORO
VÖHLNIO,

Dn. SEBASTIANO ANTONIO
NEIDHARTTO,

Dn. JOHANNI HEINRICO GIEN-
GERO.

Inclytæ Reipub. Ulmenfis
Senatoribus & Ædilibus eminen-
tissimis,

*Dominis Fautoribus & Amicis meis pluri-
mum honorandis,*

Gratiam & benedictionem precor sempiternam.



*Iri Amplissimi, Fautores colen-
dissimi, Pulchra est sententia, &
salutaris regula, quam excellens
Philosophus Seneca prescripsit l.
4. de Beneficiis, c. 30. Non sine ra-*

A 2

tione

tione sacra est magnarum virtutum memoria :
& esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non
cum ipsis cadat. Hæc debemus virtutibus; ut
non præsentibus solùm illas, sed etiam ablatas è
conspectu colamus. *Quod ipsum uti recta ratio
docet, meritorumq; natura exigit, ita in specie
urget Apostolus in sua ad Hebræos epistola, c. 13.
v. 7. μνημονέυετα, inquit, τῶν ἠγασμένων ὑμῶν.* Memen-
tote præpositorum vestrorum, quia vobis lo-
quuti sunt verbum Dei: Quorum intuentes exitum
conversacionis, imitamini fidem.

*Talem ἠγασμένον & præpositum tum in tota hac
Academia, tum imprimis in Facultate nostra
Theologica, haut ita pridem habuimus. Habui-
mus, inquam, sed pro dolor! amisimus, Virum
nempe Reverendum & Excellentissimum, Dn.
Leonhartum Hutterum, SS. Th. Doctorem &
Professorem primarium. Quàm eximijis ille vir-
tutibus donisq; præditus, quàm animosè & fideli-
ter verbum Dei inter nos locutus fuerit, nove-
runt omnes boni, neq; diffiteri poterunt ipsi ad-
versarij, qui solidum robur & invictam vim
Hutteri aliquoties experti sunt.*

Tanta-

Tantarum igitur virtutum memoria annon
merito apud nos esse debet sanctissima? Cecidit
benefactor: Et una bonorum gratia cadat? Ab-
latae sunt virtutes e conspectu: Et non colamus
eas amplius? Exiit e vita $\eta\gamma\gamma\mu\epsilon\nu\textcircled{c}$ noster:
Et non recordemur ejus saepius? Aliud suadet
Apostoli auctoritas; aliud ipsa honestas, Et bene-
ficioꝝ dignitas. Quibus omnibus ego motus,
Magni Hutteri nostri vitam, Et res gestas brevi
oratione comprehendere, gratamq; ejus memo-
riam ad posteritatem, si qua futura est, trans-
mittere Et propagare studui.

Quod pium officium, Viri amplissimi,
Fautores splendidissimi, cum vobis non di-
splicere autumarem, vestra Orationi huic
Parentali nomina honoratissima praescribere
haut dubitavi. Hutterum, Et nativitate Et me-
ritis vestrum, coluistis impense vivum: qui ergo
id ingratum fore suspicarer, quod ultimis pie de-
functi honoribus debetur? Accedit singularis
vestra benevolentia, quae omnis post beati Hutte-
ri obitum in me immerentem magno cumulo
devoluta est, ut me debitorem Et ad quaevis of-
ficia obstrictum esse, ultrò agnoscam Et fatear.

Accipite ergò fauentibus animis banc copulatæ
gratitudinis meæ tesseram, quâ & Hutteri meri-
ta prædicare, & vobis euegetatis meis unâ grates
agere sine fuco volui. Accipite, inquam, benevo-
lè banc in publico suspensam tabulam, & me por-
rò favore solito complecti pergite. Ita Deus
ex alto Vobis clementer benedicat, & diutissimè
florentes conseruet, in Ecclesiæ tutelam pio-
rumq; omnium patrocinium. Dabam V Vitte-
bergæ Dominicâ Oculi, anno M. DC. XVII.

VVV. Amplitud.

Studiofissimus

Balth. Meisnerus. D.



PRO-

PRORECTOR ACADEMIÆ WIT-
TEBERGENSIS,

AMBROSIUS RHODIUS
PHIL. ET MEDICINÆ D. ET
MATH. SUP. PROFESSOR
PUBL.



Pud Romanos olim, Aufonio teste, nihil sanctius habebat reverentia superstitum, quàm ut amissos venerabiliter recordaretur. Itaque tantum aberat, ut quo tempore terræ sequestraverant benè meritos, eo finem parentationum facerent, ut adhuc certos etiam quosdam dies constituerent, quibus iusta illis persolverentur. Hinc privatim celebratæ Novendiales Denialesque feriæ: Hinc publicè Ferialia. Et

Hunc morem Aeneas pietatis idoneus autor

Attulit in terras, iuste Latine, tuas.


Ille patris genio solemnia vota ferebat,

Hinc populi ritus edidicere novos.

Tanto nimirum honore cæca gentilitas eos profecuta est, quos semel mortuos nunquam putabat revicturos. Quanto verò convenientius est, Nos, qui Christo nomen dedimus, illoque & rectore hîc vivimus, & auctore revicturi olim, æternumq: victuri sumus, eorum memoriam venerari, qui & hujus vitæ molestias nobiscum toleraverunt, & ad alteram illam vel doctrina insigniore, vel illustriore pietate

præive-

præiverunt? Etsi enim sua illos eaque locuples satis
merces in cœlo manet: Nostra tamen hîc quoque re-
quiritur gratia: Et tanto quidem requiritur major,
quanto merita defunctorum requiri possunt minus.
Quæ cum ita sint; quis immemoris nos animi absol-
veret, si Reverendo atque Excellentissimo DNO.
LEONHARTO HUTTERO SS. Theol. Do-
ctori & Professore Publico, Viro de Ecclesia, de Aca-
demia, de nobis tandem omnibus meritissimo, præter
illos in exequiis nuper exhibitos, nullos publicos de-
cerneremus Parentationis honores? Quanquam i-
gitur non nesciamus, ne minimam quidem debitæ il-
li gratiæ partem explere posse, quicquid aut program-
matum scribitur, aut habetur orationum: Placuit
tamen vel hoc modo gratum nostrum & Academiæ
animum declarare. Idque voce & oratione ejus, qui
hoc pietatis officium lubens & ultrò suscepit, Viri
Reverendi item & Excellentissimi Dni. BALTHA-
SARIS MEISNERI SS. Theologiæ Doctoris &
Professoris Publici Facultatisque illius p. t. Decani,
Collegæ & amici nostri colendissimi. Cui tum de
Theologia in genere, tum de vitâ & obitu Beati Theo-
logi HUTTERI, breviter dicturo, ut ad d. Martis
hora IX. frequentes Vos attendentesque adsitis, su-
pervacuum fortasse est pietatis studiosos hortari.
Unum hoc subjicimus; Dubitare nos, plûsne ex ea re
ad defunctum honoris, an ad Vos utilitatis
sit redundaturum. P. P. Witteb. d. XVI.
Febr. Anno MDCXVII.



ORATIO



ORATIO PARENTALIS,
 De
 Vita, rebus gestis, & obitu
 Dn. D. LEONHARTI HUTTERI,
 p. m.

Uemadmodum DEO nihil
 sublimius, Dei Ecclesiã nihil nobi-
 lius, Ecclesiæ doctrinã nihil salu-
 tarius; Sic doctrinæ veræ interpre-
 te & defensore Theologo vix quic-
 quam aliud, vel necessarium, vel fructuosum
 magis inveniri poterit. Theologus sanctum
 ipsius *Dei* est, per quod humanum genus allo-
 quitur, & rectum ad coelestia iter signat. Theo-
 logus semper vigilans *Ecclesiæ oculus* est, qui
 constitutus in alta specula, sollicitè prospicit, ne
 vel ex hæreticorum mendacijs, vel impiorum
 scandalis detrimenti quiddam capiat Respub.
 Christiana. Theologus *sane doctrine hypera-*
spistes est, qui verbi gladio fecat innexos nodos,
 & veritatem perspicuè declarat, declaratam ma-

Theologi
 sinceri digni-
 tas.

B

sculè

sculè defendit, defensam ad posteros, tamquam fidele depositum, nullo non tempore propagat.

Fidem si detrahere velint nonnulli, Scripturam audiant, quæ definitura Theologum, appellat *a* hominem Dei, *b* servum fidelem, *c* virum spiritualium desideriorum, *d* dispensatorem mysteriorum, *e* luminare mundi, *f* Sal terræ, *g* ministrum Christi, *h* pastorem animarum, *i* plantatorem & rigatorem, *κ* Dei *ἐπίσκοπον*, *l* Episcopum, *m* Angelum, *n* Christum vel unctum: & quid non? O beatam Ecclesiam, O felicem Academiam, ad cuius clavum sedent, in cuius cathedra docent Theologi, & doctrinâ sinceri, & vitâ inculpati! Oriuntur pericula? Intercedunt cum Mose. Irrumpunt hæreses & schismata? Refutant cum Iohanne. Cumulantur scandala? Corrigunt cum Paulo, & interdium noctuq; cum lachrymis moment unumquemq;

Obtigit, Magni Patres Academici, Auditores omnium ordinum præstantissimi, obtigit exacto seculo, nobis & Majoribus nostris, ex divina clementia, talis beatitudo & felicitas. Non faciam verba de omnibus; non extollam nobilem illam Collegij Theologici quadrigam, superioribus annis conspectam; silentio involvi patiar *Lyserum*

Hunni-

a 2. Tim. 3, 17.

b. Matth. 25, 2.

c. Dan. 9, 23.

d. 10 v. 11.

d 1. Cor. 4, 11.

e. Matth. 5, 15.

f. Matth. 5, 14.

g. 1. Cor. 4, 1.

h. Heb. 13, 17.

i. 1. Cor. 3, 6.

k. 1. Cor. 3.

v. 5, 9.

l. 1. Tim. 3, v. 1.

m. Apoc. 3 v. 1.

n. Psal. 105, 15.

Exo. 32 v. 11.

loh. 1. v seqq.

act. 20, v, 31.

Hunnium, Gesnerum, Rungium, Mylium, at
 quantos viros! ne vulnera nimis multa refricare
 videar. Extrema primi seculi Lutherani, *εἰσοδον*
καὶ ἐξοδον considerate mecum: Ecce! Biga Theo-
 logorum Clarissima in conspectum prodit. Di-
 cam ego paucissimis: *LUTHERUS* incepit, *HUT-*
TERUS finijt.

Quid addam? Auditores. Plura eloqui vix per-
 mittit justus dolor, quem tantorum obitus in ani-
 mo meo suscitavit non exiguum. Fuit, hei fuit,
Lutherus Hutterusq; noster! Ablati sunt currus
 & aurigæ Israëlis: translata sunt hujus Ecclesiæ
 luminaria, confractas cernimus scholæ nostræ
 columnas præcipuas.

Hæc ipsa *Concordiæ dies*, ante annos vnum &
 septuaginta, *Lutherum*; & in *Luthero*, summum
 Theologicæ sapientiæ, summum *Suadæ* Germa-
 nicæ, summum imperterriti roboris, summum
 sanctissimæ consensionis & concordiæ thesau-
 rum nobis eripuit. *Lutherum* vivis excessisse
 cum auditis, annon excessisse putabitis Inexpe-
 ctatum Ecclesiæ Reformatorem, Animosum
 fidei propugnatorem, & *Gnavum* antiquæ
 superstitionis correctorem?

Mortuus est
Lutherus
Islebia, in
patria, d. 18.
Febr. anno
1546.

Lutheri enco-
mium.

Fuit Lutherus noster, fuit omninò apex Theologorum nobilissimus, obex hærese^{um} validissimus, Scripturæ interpres sagacissimus, sellæ Papalis domitor fortissimus, & planè admirabilis, de quo Pœta non immeritò cecinit:

*Vir sine vis ferri, vi verbi, & inermibus armis,
Vir sine re, sine spe, contudit orbis opes.*

Lutheri virtutes, *HUTTERUS* noster, veluti Lutherus alter, imitari sedulò allaboravit, nec infeliciter expressit. Quis enim ejus ignorat in eloquendo dulcedinem, in disputando acrimoniam, in vero asserendo vim & constantiam? Quoties hanc ipsam cathedram heroicâ voce, & verbis Spiritu plenissimis animavit? Quoties audivistis illum, ex hoc loco, & suaviter perorantem, & graviter disputantem? Neq, verò tantum intra angustos hujus scholæ terminos conclusa fuit doctrina eius & animositas. Erupit, instar jubaris Solaris, & radios sparsit quam longissimè. Sensit invictam vim *Hutteri* nostri *Antonius Sadeel* Genevæ, *Bellarminus* Romæ, *Pareus* Heidelbergæ, *Münsterus* in Holsatia, *Hospinianus* in Helvetia, & *Calvinicole vicini* in Marchia. Tam enim apertè fraudes singulorum detexit, tam solidè ratiunculas dissolvit, ut ferè o-

Videatur Sadeel Elencho. menos editus in 8. an. 1602. Bellarmini libri duo de Missa, examinati et refutati, anno 1604.

mnes,

omnes quod reponerent, haecenus nondum inveni-
nerint.

Verum, Proh dolor, conticescit jam lingua,
& quiescit calamus utriusq; Herois, tum *Lutberi*,
qui prius inchoavit seculum, tum *HUTTERI*,
cujus inexpectata evocatio ultimum Luthera-
ni seculi annum nobis fecit luctuosissimum. O
miseram Ecclesiam, o infelicem Academiam,
quæ tantorum luminum Eclipsin, tantorum co-
luminum ruinam & jacturam patitur!

Rogate mecum, *Auditores*, rogate, quæ ad pa-
cem sunt nostræ Ierusalem: O Deus, O Pater o-
ptime Maxime, tuum vel tandem cohibe furorem!
Plantasti vineam inter nos: & ipse destrues?
Schola hæc sedes tua est: & ipse dirues? Iram me-
ruerunt quidem peccata nostra: sed confugimus
ad te, ut inveniamus misericordiam. In te spe-
ramus singuli, ne confundamur in aeternum. Bona
suscepimus à te: fac ut retineamus per te, & gra-
ti referamus ad te. Serva scholam & Ecclesi-
am: serva Ecclesie puram doctrinam: serva
doctrinæ vindices sinceros, & constantes Theolo-
gos, ut Academia hæc semper illustris vigeat, in-
concussa maneat, & apud posteros omnes audiat
Mater veritatis, Officina Pietatis, & Germaniæ

*Irenicum verè
Christianum
Pareo opposi-
tum, an. 1616.
Calvinista Au-
lico Politicus
prior editus
anno 1613.
Concordia
concors ca-
lumnias Ho-
spiniani dete-
gens, publica-
ta anno 1614.
Calvinista
aulico politi-
cus alter,
vulgatus an.
1614.
Widerlegung
Hans Knor-
ren und
Harminij
de Mosa,
1615. &c.*

totius Athenæum splendidissimum. *Suspirate mecum, qui nobis, imò qui & vobis ipsis benè esse optatis, FIAT, ò DOMINE JESU, FIAT!*

Nunc autem ad id me converto, cujus gratiâ vos præsentem video, & cathedram hanc ego conscendere debui. Nimirum justa parentationis persolvenda sunt *Beato Hüttero*, quem ante menses quinque, supremus *Imperator*, è statione & militia sua in æternam victoriæ ac quietis regnum transtulit. Quid ergo faciendum nobis? Si memoriâ repetamus vitam, est quod lætemur; si mortem, est quod tristemur. Hæreo tamen *Auditores*, num æquius sit lætari, quòd talem habuerimus; an tritari, quòd tam subito amiserimus.

Et sanè, videtur utrumq; conjungendum ei, qui de vita & obitu *Hütteri* verba debet instituire. Quomodo enim de vita ejus dicere possit absq; gratulatione & laude? Quomodo de obitu, absq; lessu & dolore? Vix tamen laudare audeo, ne videar adulari; vix dolere debeo, ne videar voluntati divinæ reluctari. Malo tamen dicendo grave temeritatis vitium, quàm silendo gravissimam ingratitude labem subire.

Modum interim, qui ubique optimus, servabo in utroq; & orationem ita meam attemperabo, ut neque interspersa querela & laudatio, amici suspicionem habeat; neque debitæ laudis & *συμπεριείας* omissio, justam mereatur offensam. Haut tamen coacervabo omnia, quæ in tam diffuso campo se ostendunt quàm plurima. *HUTTERUM* producam in conspectum vestrum, ut *Exemplum* & *ideam docti sinceriq; Theologi*, in quam intueantur juvenes, & secundum quam actiones suas conforment.

Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla, scribit robustæ & animosæ *σοῦς* Philosophus *Seneca*. Quæ igitur de Theologiæ præstantiâ, & studio ejus rectè adornando differi vel possunt vel debent, *HUTTERI* exemplo commodissimè doceri & illustrari posse censeo: ac proinde dicam tum *de Theologia ipsa*, Heroïna longè nobilissima, tum *de Theologo HUTTERO*, Doctore ejus celebratissimo, ut per illius commendationem, calidum apud multos excitem desiderium, per *hujus* exemplum, discendi cupidis veram, quam insistant, viam, perspicuè commonstrem.

Epist. 6.

Propositio.

Quæ

Quæ omnia vt proponere mihi liceat vestra cum
 venia, Pro-Rector Magnifice, Baro Illustri,
 Patres Academici, Auditores optatissimi, humi-
 liter & obnixè oro; Imò jam antè exoratos vos
 esse nullus ambigo. Qui enim Hutterum au-
 distis toties, & tanta cum voluptate, & hoc ipso
 ex loco differentem, quomodo de Huttero bre-
 viter dicenti, benevolentiam & attentionem vos
 denegaturos esse, suspicari possem?

PRIOR PARS
 ORATIONIS,
 de Theolo-
 giæ præ-
 stantiâ.

Iehovah qua-
 tuor modis se
 revelavit.

IEHOVAH, qui lucem habitat inaccessam,
 & cuius agnitione destitui, est in tenebris ver-
 sari, *quatuor* potissimum *modis* homini post
 lapsum sese conspiciendum exhibet.

Primus consistit ἐν κοινῆς ἐνοσίχθωνος, quæ per na-
 turam nobis imprimuntur, & velut insculpuntur,
 ut sciamus φύσιν, esse aliquem Deum, cuncta mo-
 derantem, bonorum tutorem & malorum vin-
 dicem.

Secundus cognitionis modus oritur ex crea-
 turarum aspectu & diligenti contemplatione,
 cum ab inferioribus & sensibilibus ad aliqualem,
 licet debilem, summi entis primiq; motoris no-
 titiam. *Videmus enim creatorem per creatu-*

ram

turam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum, ait Augustus Pater Augustinus, quod ipsum Prosper, Pœta pientissimus, hoc disticho comprehendit:

Mirandis operum signis ostenditur auctor,

Rectoremq; suum condita quæq; canunt.

Tertius modus scriptam continet revelationem, Prophetis & Apostolicis libris expressam. Quia enim notitia naturalis languida & imperfecta est, hinc Deus, infinitæ bonitatis abyssus, verbum suum ex mera gratia communicavit homini, & in illo luculentè docuit, tum quid à nobis fieri, tum quid de nobis facere velit, quorum illud in Lege, hoc, in Evangelio revelatur.

Quartus deniq; modus non nisi beatis & glorificatis competit, quibus per claram visionem sese manifestat Dominus, ut de facie ad faciem eum intueri & excellenter queant cognoscere. Hic enim tantum per speculum videmus in ænigmate, hinc ex parte prophetamus: In celo dabitur perfectio, ibi vacabimus & videbimus: videbimus & amabimus; amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine, sine fine! Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis? quibus verbis Pater prædictus

Serm. 55. de
verbis Domini

Epigr. 60.

C. 07. 13. v. 12.

aureum opus de civitate Dei conclusit & velut
obsignavit.

Atq; hi sunt illi quatuor divinæ manifestati-
onis modi; vnde scribunt alij, *ἑσάρων* Dei quatuor
libris descriptam contineri. *Primus* vocatur
Φύσεως vel naturæ; *Secundus* *κτιστέως* vel creatu-
ræ; *Tertius* *γραφή* vel Scripturæ; *Quartus* *ζωής*
vel vitæ sempiternæ. In *primo* cognoscimus
Deum, per naturalem inscriptionem; in *secundo*,
per mundi aspectum; in *tertio*, per lectionem
sedulam; in *quarto*, per beatum de facie ad faci-
em intuitum.

Primi duo divinæ *γνώσεως* modi planè imper-
fecti sunt & insufficientes: ultimus erit perfectis-
simus, quem propterea non admittit præsentis
nostræ imbecillitatis status, ideoq; ex primis illis
& imperfectis modis non deducimur ad supre-
mum & perfectissimum, nisi per medium, quo
sele Deus in sacro Scripturarum codice manife-
stare voluit. Ut enim aliàs ex imo ad summum
non sine medio, sed per medium datur adscensus:
Ita ex notitia naturali & imperfecta, ad plenam,
apertamq; Dei visionem, non nisi per intermedi-
am verbi revelationem, provehimur.

Hæc igitur sola & unica scaturigo est, ex qua

fluit

Quatuor libri
cognitionis
divinæ.

fluit & hauritur sacrosancta de Dei essentia cultuq; religioso doctrina, quam vno vocabulo in scholis *THEOLOGIAM* vocamus, & in cuius gratiam ista præfari voluimus.

Theologiam verò cum nomino, non sermonem ipsius Dei de seipso, vti quidam imperitè confundunt, sed λόγον περὶ τοῦ Θεοῦ, sermonem vel *doctrinam de Deo divinisq; mysterijs* intelligo, non lecus ac astrologia non astrorum, sed de astris sermonem artemq; denotat.

Theologiam verò appellari cum auditis, Ecce! conspicienda vobis sistitur *Regina* disciplinarum, *Mater* bonorum operum, *Directrix* actionum omnium. In toto hoc visibilis mundi theatro nihil datur homine excellentius; in homine, nihil est animâ præstantius; in anima, nihil ratione exquisitius; in ratione, nihil intellectu præclarior; in intellectu, nihil scientiâ pretiosius; Inter omnes verò scientiæ species, nulla invenitur vel nobilior, vel fructuosior, quam quæ est rerum divinarum, & *Theologia* dicitur.

Absq; hac omnis scientia, ignorantia; omnis vita, vanitas; omnis actio, peccatum; omnis conatus, error est. Absq; hac nullum datur in religione directorium; nullum in fide suscitabulum;

Sohnius tom. 1.
pag. 66. 13. Iu-
nius de Theolo-
gia. c. 1.



nullum in spe & charitate alimentum ; nullum in cruce solatium ; nullum in vita gaudium ; nullum in morte refrigerium. In hac quicquid docetur, veritas ; quicquid præcipitur, bonitas ; quicquid promittitur, felicitas est. Ad hanc si disciplinæ conferantur reliquæ, mox vilescunt, in cineres abeunt ac favillas.

Dan. 2. v. 31.

Statua Nebucadnezaris comparatur cum quatuor Facultatibus.

Rex Nebucadnezar in somno statuam vidit hominis, cuius caput aureum, pectus cum brachijs argenteum, femora & venter æneus, tibiæ verò luteæ ferreæq; fuerunt. Non ignorò diversas quatuor Monarchiarum rationes hac imagine primò depingi : Quid verò absurdi esset, si ad disciplinarum quoq; varietatem notandam secundariò adplicaretur ?

Philosophis adsignari possunt *tibiæ*, quoniam prima tradunt fundamenta, quæ instar tibiæ sustinent cætera, nec non in opinionibus suis nonnunquam sunt rigidi ferreiq;, quibus tamen lutum aliquando intermixtum est.

Medicis tribuitur venter, quippe cuius curam principaliter agunt, & quorum facultas præstantior putatur Philosophicâs adhuc tamen ænea, & circa mixturas varias occupata est.

Pectus & brachia *Iuris-consulti* obtinent,

quia

quia iustitiam corde docent concipere, brachijs defendere: quæ quidem disciplina satis est egregia, ob bonum communitatis, quod promovet ac conservat, non tamen primatum obtinet, sed argenti naturam imitatur, quod infra auri præstantiam subsidit.

Sancta verò Theologia *caput* occupat, & tota aurea est, ob puritatem, quâ excellit; ob pretiositatem, quâ pollet; ob fulgorem, quem emittit; ob soliditatem, quâ constat: ob efficaciam singularem, quâ in movendis confortandisq; animis operatur. Vt ergo caput inter corporis membra, ut aurum inter metalla; sic Theologia inter disciplinas reliquas principatum nata est.

In hâc omnia sunt *divina*, vnde sublimitas; omnia *eximia*, vnde dignitas; omnia *scitu digna*, vnde necessitas; omnia *certa*, vnde infallibilitas; omnia *salutaria*, vnde utilitas elucescit.

DIVINA dixi omnia, quia eius *author* Deus est; eius *principium*, Scriptura Ἰεὸς πῶτος ; eius *objectum*, mysteria; eius *subjectum*, corda sanctificata; eius *forma*, divina veritas; eius *finis*, Johæ gloria & beatitudo nostra; eius *effectus*, mentis illuminatio, cordis purgatio, carnis sub-

In Theologia
omnia sunt
divina.



actio, & talis omninò informatio, per quam & rectus de Deo sensus, & religiosus erga Deum cultus in nobis gignitur.

Omnia exi-
mia.

EXIMIA dixi omnia, quoniam non agit Theologia de bonis fortunæ, quæ fluxa; non de bonis corporis, quæ fragilia; non de secularibus bonis animæ, quæ incerta sunt; Altius ascendit, & summum infinitumq; bonum inquirit: Ipsius Dei notitiam scrutatur, & illa investigat, ad quæ omnis ratio humana obmutescit. Hinc res Theologicæ dicuntur *Revelatae*, cum tantum ex verbo innotescant; & *Mysteria*, cum quasi velentur, nec manifestè videantur; & *Articuli fidei*, cum non ratione sed solâ *πίστη* percipiantur.

Omnia scitu
digna.

SCITU DIGNA dixi omnia, quia nihil dignius est homine, quàm nosse Deum *supra se*; nosse Angelos *juxta se*; nosse Diabolos *infra se*, & tandem nosse semetipsum *in se*, humanæq; naturæ conditionem. Ad imaginem Dei sumus in *πεωποπλάσεις* conditi: Quid esse igitur potest scitu vel dignū magis, vel necessarium, quàm illius rationē cognoscere, & de ista recuperanda seriò cogitare? Omnia propter hominem, homo propter

Deum

Deum factus est: Quid ergo dignius homine, quàm à Deo semper pendere, cum Deo semper colloqui, de Deo semper differere, & ad Deum cuncta cogitata, dicta, facta referre?

CERTA dixi omnia, siquidem non ratione nititur Theologia, sed revelatione: demonstrationes profert non *ἡ ἀπορίας* sed *ἡ ἀφαιρέσεως*: non tradit opiniones hominū, qui falli possunt & fallere, sed ipsius Dei effata, qui verax est, imò ipsa veritas & constantia; cuius dicere est facere, cuius verba res ipsæ sunt.

Tandem *SALUTARIA* dixi omnia, cum dirigantur *vel* ad cognitionem veri, & refutationem falsi; *vel* ad promotionem bonorum operum, & suppressionem malorum; *vel* ad consolationem lugentium, & desperationis fugam atq; exclusionem. Quid verò his omnibus excogitari potest fructuosius, quid salutaris? Vitæ humanæ cursus *navigationi* non immeritò comparatur. Mundus, in quo vivimus, tanquam *mare* fluens & refluxus; *Littus*, unde solvimus, nativitas; *Portus*, quò tendimus, æterna felicitas; *Nauta*, quem sequimur, Christus; *anchora*, quâ nitimur, fides est. Verùm hîc arte, hîc regulis opus habemus, ne vel in desperationis charybdin, vel

Omnia certa.

Omnia salutaria.

Vita comparatur navigationi.

in-

in securitatis scyllam incidamus, adeoq; & fidei & salutis triste faciamus naufragium. Hanc artem, & istas regulas sola Theologia suppeditat, quippe quæ docet *tum* fiduciam concipere in Deum, ne desperemus ex timiditate; *tum* salutem operari cum tremore, ne efferamur ex securitate. *Theologia* est, quæ inter præruptos hujus mundi scopulos ita navigare nos facit, ut ad cælestis patriæ portum salvi & illæsi provehamur. *Theologia* est, quæ ex lege facienda, ex Evangelio credenda ostendit; quæ pietatem erga Deum, charitatem erga proximum, sobrietatem erga nos ipsos inculcat; quæ sanctissimo dirigit ductu cor nostrum, ut credat & diligat; os nostrum, ut Deo grata, pijs salutaria loquatur; manus nostras, ut benè operentur & mandato munere fungantur quàm rectissimè. *Theologia* est, quæ affectuum *organs* impetusq; sedat, & inter varias turbas animum sola conquiescere, suaviter, & in Deo confidere facit; quæ artem docet piè vivendi, fortiter patiendi, beatè moriendi; quæ nos in mundo extra mundum, imò, quæ nos extra nos rapit, & cū ipso Jehovah unit, ut spretis mundi vanitatibus, cælestia sapiamus, & mente elevati in cælum, ipsisq; Angelo-

rum

rum & beatorum choris immixti, sanctissimæ
 theoriæ semper vacemus & videamus, cùmque
 alatis Seraphin, corde ad quietem, ore ad laudem
 composito, summa cum lætitia, in Museis nostris,
 quotidie intonemus nobile illud *ἁγίου ἁγίου*
Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum
Plena est omnis terra gloria ejus. O cōtemplatio-
 nem suavissimam! ô disciplinam saluberrimam
 & sanctissimam!

Esa. 6. v. 3.

Habeant voluptuosi suas delicias: custodiant
 avari suas arculas: jaclitent Politici suos titulos;
 extollant Philosophi sua theoremata; Medici sua
 pharmaca; Icti sua consilia, & Principum sive
 placita, sive rescripta, sive edicta, Ad Theolo-
 giam collata, mox omnem amittunt splendo-
 rem, quia tantum humi repunt, & illa continent,
 quæ acumine humano inventa, quæ experienciâ
 & observationibus comprobata sunt. Nihil ab
 ijs audies de vera Dei notitia, nihil de solida con-
 scientiæ tranquillitate, nihil de sempiterna bea-
 titudine, ad quam tamen vniversi & singuli col-
 limare debemus. Omnia sunt apud eos frigida;
 Non ibi mens elevatur ad Deum; nulla ibi col-
 loquia instituuntur cum Deo; nulla in animo fi-
 des & devotio accenditur; nullum munditædi-

ails T

D

um

um, nullum mortis desiderium ingeneratur. Terra sunt, & instar terræ frigent, rigent, nigrescunt omnia.

Et adhuc sunt, *Auditores*, qui Theologiam alijs postponere disciplinis audent? Miror ego, & vel maximè miror, quòd artes reliquæ cultores etiamnum inveniant, cum ad Theologiam comparatæ, ob sublimitatem & dignitatem ejus, vel ipsæ obstupescant, & capita humiliter demittant. Imò verò non illud, sed hoc potius miror, totusq; stupeo, in tanta luce & nobilitate, tantam dari eorum copiam, qui sacrum studium flocci faciunt, ejusq; sacerdotes & alumnos velut è plebe & infimæ sortis homines parvi æstimant, rident, negligunt, contemnunt. *O terre filios*, qui cum serpente maledicto super pectus gradiuntur, & cunctis diebus vitæ non nisi terræ pulverem lingunt! Sordescant igitur adhuc, qui sordent; fruantur suis nænijs, qui volunt: Nobis mens longè alia est, imò non nobis tantum, sed universis & singulis, quibus

Gen. 3. v. 14.

E meliore luto Titan præcordia finxit.

Talis

Talis etiam, & tam excelsa mens fuit *Hut-*
TERO nostro, quem rectius meliusq; com-
 mendare me non posse arbitratus sum,
 quàm si Theologiæ laudes recenserem, quippe
 cujus ille fuit in adolescentia alumnus, in ætate
 adulta doctor & vindex acerrimus. Quæcunq;
 igitur Theologiam nobilitant, illa & magnum
 faciunt Hutterum, quippe Theologum inter
 primos nobilissimum. De cujus vita & rebus
 gestis jam porrò in secunda orationis meæ parte
 dicendum est, quod paucis quoq; lineis, ne cre-
 em vobis molestiam, expeditum dare annitar.

Vitæ verò historiam cum primis duo cir-
 cumscribunt: *Primum* familia, *deinde* studia;
 & horum considerari potest *tum* instituendorum
 ratio & curriculum, *tum* institutorum fructus &
 vsura.

De familia curiosius & prolixius verba fa-
 cere non mei est officij, nec vestri à me illa sive
 expetere, sive expectare.

Natus est Hutterus noster, anno gratiæ *supra*
sesquimillesimum sexagesimo tertio, mense *Janu-*
ario; Eo nimirum anno, quo Conciliabulum Tri-
 dentinū, per septēdecim annos & aliquot menses

POSTERIOR
 PARS Ora-
 tionis de
 gestis Dn.
 D. Hutteri
 p. m.

Tempus, quo
 natus est no-
 strus natus.

continuatum, tandē aliquando finitum, & solenni
 hac purpuratorū Patrum acclamatione conclu-
 sum est: *Omnes ita credimus: omnes id ipsum sen-
 timus: omnes consentientes & amplectentes sub-
 scribimus: Hæc est fides Petri & Apostolorum:
 hæc est fides Patrum: hæc est fides orthodoxorum.*
 O verò discordem concordiam, ò fidem infi-
 dam! Verūne consensus ille est, qui vi & armis
 gignitur, fovetur? Illāne fides Petri & Patrum est,
 quæ Petri lectionem prohibet, Patrum com-
 mentarios castrat? Divinæ igitur gratiæ opus fu-
 it, quòd illo tempore natus *Hutterus*, quo nata
 & edita Tridentinæ Synodi decreta, vt sic eodem
 anno acciperet sancta Ecclesia strenuū defen-
 sorem veræ fidei, quo Pontifex Romanus suis eam
 canonibus suppressam extinclāmq; voluit.

*Patria Hüt-
 teri.*

Si *Patriam* Hutteri quæras, *Nöllinga* est, lo-
 cus in nobili claroque agro *Ulmensi* non adeò cla-
 rus & nobilis, Theologi tamen nostri natalitate
 & cunis plurimum nobilitatus. Hi nempè mo-
 res sunt Altissimi, ut respiciat humilia, & ex locis
 obscuris clarissimos, ex minimis maximos viros
 prodire faciat. Annon Propheta *Jeremias* or-
 tus fuit ex oppidulo *Anathoth*, *Hoseas* ex pago
Bethsemes, *Joël* ex pago *Bethor*, *Nabum* ex pa-

go Elkos, *Zephania* ex pago Sarabatha? Imò ipse Rex Regum, Servator mundi, non Romæ, non Hierosolymis, sed in contempta Nazareth conceptus, in parva Bethlehrem à Maria sempervirginenatus est. Verùm quid de terrestri patria solliciti sumus, de qua dubitari potest, an illa viro, an vir illi plus decoris conciliet? Communem patriam, & matrem mysticam nos Christiani habemus, sanctam Ecclesiam, cujus civem, cujus membrum esse, maxima laus est, juxta *Basilium*. Habuit hanc Hütterus noster; Membrum fuit, civis fuit, imò doctor fuit Ecclesiæ, quo honore nihil altius, nihil sublimius in toto mundi latifundio reperitur.

Parentibus verò honestissimis prognatus est, matre *Anna Hoflichia*, Patre cognomine *M. Leonbarto Huttero*, primùm Pastore Nöllingensi, post Ecclesiaste Ulmensi fidelissimo, in cujus sinu piè fuit educatus, studijsq; liberalibus maturè consecratus. Novit enim optimè Pater optimus, quòd filio non tantùm esse debeat causa essendi generando, nec tantùm causa nutriendi educando, sed cum primis causa disciplinæ informando. O stolidos parentes, qui filijs prospiciunt de pecunia, non doctrinâ; qui col-

Parentes
Hütteri.

D 3

ligunt

ligunt aurum, & negligunt animum; qui relinquunt prolem divitem, sed pravam & inertem! Simile quid agunt equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, multum verò pabuli exhibent: Sic enim equos habituri sunt pinguioribus, sed rerum, quas præstare oportebat, planè imperitos.

Profectio
Hutteri ad
Academiam
Argentingen-
sem.

Postquam verò ex internodio pueritiæ ad mediam adolescentiæ gemmam Hutterus jam evaserat, mox *Argentiam*, celebre illud omnis doctrinæ emporium immigravit, ubi ante omnia de fine, ad quem collimaret, sollicitus fuit; & tum parentis consilio, tum tacito naturæ instinctu, tanquam divino stimulo, *Theologiam* selegit, ad quam omnia studia, omnes cogitatus actûsq; dirigeret. Morus quorundam mos est, ut per multos annos vagabundi errent, & velut in æere hæreant, incerti, quod tandem vitæ genus inire, cui facultati sese dedere & velint & debeant: Unde fit, ut media rectè nequeant ordinare, quia certum finem scopumq; nondum sibi habent propositum. Quis non rideret viatorem, si modò hanc, modò illam viam insisteret, de viæ autem meta vel nunquam, vel nimis serò cogitaret? In mentem mihi jam venit ridiculum factum *Francisci Assisij*, quem Papicolæ *Jesum* typi-

cum blasphemè nuncupant. Qui cum aliquando nesciret, quò primùm deberet proficisci, oculos cucullo obvelavit, & à fratre Massæo circummagitari se præcepit, ut illam, quam finito motu aspiceret, viam velut divinitus monstratam eligeret. Certè non multum huic morioni absimiles sunt ij, qui per Facultates dubij vagantur, & vbi consistant, nunquam inveniunt. Fastidientis stomachi est multa degustare: quæ vbi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt. Distrahit animum multitudo, & nusquam est, quæ ubiq; est. Incertæ mētis certum indicium puto, non consistere posse, nec secum morari: Qui proficere optant in studijs, finem sibi maturè præfigant, & ad ejus adeptionem, omnia instituta, maxima, minima, referre semper allaborent.

Ad exemplum vobis iterum sisto *Hutterum nostrum*, qui animo ad Theologiam applicato, non temerè, velut illotis manibus, in sacrarium hoc irrumperere, sed de necessarijs prius adminiculis, quibus absq; vel nunquam, vel certè difficulter ad fastigium Theologicum adscenditur, sibi prospiciendū esse prudenter censuit. Quare *linguarū & eloquentiæ* studijs horas primis annis benè multas tribuit, nactus in eo genere doctorem felicissimum

Studia linguarum.

simum, *Melchiorum Junium*, Oratoriæ Professorum celeberrimum, sub cujus auspicijs in publicum prodijt aliquoties, deq; rebus gravissimis cum applausu auditorij perorando disseruit, atq; his medijs tam insignem dicendi δύναμιν adeptus est, ut de tanta, tam mellea Suada melius sit tacere, quàm pauca & jejuna verba facere. Imitemini, *vos Adolescentes mei*, & ita vobis persuadeatis velim, sine linguarum peritia nullum excellentem Theologum & Scripturæ interpretem vel fuisse olim, vel futurum unquam. Nemo mihi cum fructu leget, nemo intelliget Testamentum vetus, qui in lingua Hebræa & Chaldaica; Nemo Novum, qui in Pelasga peregrinus hospes fuerit. Primum & præcipuum felicitis ἐξηγάγεως medium, est dictionum Phrasiûmque consideratio, quam linguarum imperitus quâ tandem ratione instituet? Pulchrè *Clemens Alexandrinus*: δύο εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τὰ τε ὀνόματα, καὶ τὰ πράγματα, *Duae sunt ideae veritatis; Nomina & Res.* Nomina verò rerum quasi cubilia quæ dā sunt, quibus illæ involutæ jacent, ut in nativa forma haut aliter possint aspici, quàm per ista involucra, quæ meræ tenebræ, nisi linguarum lumine illustrentur. Hoc cum primis in Theo-

L. 6. Strom.
pag. 293 edit.
Commelia.

logia

logia nostra verissimum, quippe cum de DEO vix plura, quam ejus nomina sciamus; & alias omnis rerum divinarum notitia non nisi ex verbo revelato sit petenda, ut hinc Theologia non ineptè dicatur *Grammatica mysteriorum*, ac Theologus nihil sit aliud, quam *divinus Grammaticus*.

Non verò minorem operam impendit *Noter* Puriori Philosophiæ, tanquam alteri subsidio & adminiculo, in qua non lacunas hausit, sed fontes; non spinas collegit, sed rosas. Rectè enim existimavit, parum inò nihil usus ad Theologiam redundaturū, si maximè multas formalitates hæcæitates, & nescio an intelligibiles inintelligibilésve transcendentalitates crepare possit: Magis fructuosa sectari voluit, ὄργανον illud ὀργανῶν *Logicam*, Rationis Directricem; & *Physicam*, Pulcherrimarum rerum Matricem; & *Ethicam*, fidelem morum correctricem, sibi cum primis commendatam habuit, ductu & informatione usus, *Ludovici Havenreuteri*, Philolphi Mediciciq; nobilissimi, & *Theophili Golij*, Morum censoris severissimi: sub quibus ducibus adeò egregios fecit profectus, ut *secundo* statim post ingressum Academicum anno, qui fuit ætatis vice-

Philosophia
studia.

E

simus,

simus Jeozovias supra sesquimillesimum octuagesimus tertius, palmam Philosophicam & Magistrij dignitatem, ab illo Theologorum Phosphoro, *Johanne Pappo*, pro more Argentinen-
sis Academiae tum Decano & Brabeuta, non sine succrescente nominis sui fama & Patrum Academicorum applausu, decimo mensis Octobris die acceperit.

Vos qui sacris nostris initiati estis, eadem premitte vestigia, & Philosophicas disciplinas maturè imbibite. Multum enim conducunt ad cultum & acumen ingenij comparandum, ad terminorum quorundam explicationem, ad rectam controversorum problematum perceptionem, & expeditam adversariorum refutationem. *Augustinum*, Patrem augustissimum, audite, Licentium suum ita informantem: *Eruditio disciplinarum liberalium, modesta sanè atq; succincta, & alacriores, & perseverantiores, & comtiores exhibet amatores amplectenda veritati, ut & ardentius appetant, & constantius insequantur, & inbareant postremò dulcius.* Non ignotum vobis esse arbitror grave & animosum *Jacobi Schegkij* dictum: *Ego quidem, inquit, sic judico, tum demum fore quietas & beatas*

Lib. 1. de ordine

Lib. 1. de demonstrat.

Eccle-

Ecclesias, si aut Philosophi veri dent operam Theologia, aut Theologi philosophentur pie. Magis animosè scriptum reliquit, justus pater Justinus: ἅπαντες ἀνθρώπων φιλοσοφῆν καὶ τὸ μέγιστον καὶ ἡμιώτατον ἔργον ἡγεῖσθαι. Omnes homines Philosophos esse oportet, & maximum ac præstantissimum opus illud existimare. Verum,

Sit modus in rebus, sint certi deniq; fines:

Quos ego quidem in hac quæstione quatuor potissimum limitibus, exemplo nobis præcunte Huttero, circumscribere consuevi.

Philosophandum est: Sed NE QUID NIMIS. Utenim hedera pota nervis nocet, eadē foris adhibita prodest: Sic Philosophiā si penitus imbibas, nocet ad pietatem; si leviter & veluti foris admoveas, prodest ad eruditionem, *Erasmi* iudicio.

Philosophandum est: Sed NON SOLUM. Qui enim ad Theologiam adspirat, utrumq; studium conjunget sapientissimè. Non recte currunt, qui per aliquot annos intra stadium Philosophicum unicè decurrunt, ultimo fortè anno salutantes Theologiam. Annōn stolidum, plus tribuere pedisse quæ & ancillæ, quàm heræ; plus tēporis impendere ad miniculis & *παρέρχοις*, quàm ipsi rei & *ἔργω* principali? Qui vobis melius consultum vultis, Lyceum sic amate, ne scholam Theologicam negligatis. Non divellantur in theoria, quæ mutuas sibi operas præstant in praxi quotidiana.

E 2

Phi.

Quomodo Philosophandum sit?



Philosophandum est; Sed RECTE. Non secleris quisquiliis scholasticas, non incertos variarum opinionum fluxus & refluxus: Puriores fontes adi, spinosas subtilitates fuge, & illa cum primis selige, quæ in sacro studio futura sunt utilia.

Philosophandum est; Sed SOBRIE ET SUBMISSA. Nescio enim quæ fiat, quod Philosophiæ sapius cristæ sint annatæ. Audit quidem Theologiæ ancilla, sed esse cum Hagar crebro renuit. Magisterium & herile solium affectat, Sibi uni, tanquam disciplinarum omnium reginæ & fundamento, iudicium de rebus Theologicis supremum vindicatum cupit. Tu verò, quisquis es, prudenter caveas: hîc enim, hîc latet anguis in herba; hîc bivium est, quo iter patet, vel ad hæresin, si fræna rationi laxes; vel ad veritatem, si humiliter sub fidei obsequium captives.

Verùm revertamur ab hoc diverticulo satis longo ad *Magistrum nostrum*, qui nactus lauream Philosophicam non ratus est, sese jam in culmine eruditionis versari, sed potius pleno animo concitatòq; gradu ad ulteriorem contendit perfectionem, & suam vnicè amatam, suaviter amplexus & exosculatus est Theologiam. Nullum hæc aliud vel σοιχείον habet vel θεμέλιον, quàm Scri-

Studium
lectionis Bi-
blica.

pturam

pturam *θεόπνευστον*: ab hac quicquid discrepat, error; cum hac quicquid concordat, veritas est: hanc ^a Psaltes Regius *lucernam nostram*; hanc ^b Apostolus *normam & canonem*; hanc ^c Origenes *turrim minimè nutantem*; hanc ^d Athanasius *fidei anchoram & sustentaculum* jure nuncupavit. De hoc igitur religionis puræ principio, & rectius intelligendo, & tenacius imprimendo, vel maximè sollicitus fuit *Hutterus noster*, ideoq; libellum peculiarem, inter *νεμήλια* ejus repertum, compingi sibi curavit, in quo & summas Bibliorum capitum, & præcipuas locorum difficiliorum expositiones sedulo annotavit. Ite per exemplum, *Amici mei*, & lectionem Biblicam habete vobis commendatissimam. *Christianos volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem confugere decet, quàm ad sacram Scripturam*, inquit aureum illud os *Chrysostomus*. Si Christianos singulos hoc decet, quantò magis eos, qui cum tempore in Christianorum doctores volunt evadere? Apellis adagium erat: *Nulla dies sine linea*. Vobis ego hoc inculco; *Nulla dies sine lectione Biblica* quæ quidem esse tum potest tum debet gemina, primis annis *cursoria*, sequentibus *accurata*, in textus originalis evolu-

^a Psalm. 109.

^b Gal. 6. v. 16.

^c In Psal 37.

^d In synopsi.

Hom. 29 super
Matth.



tione, capitum singulorum ἀναλύσει, & interpre-
tis præcipui lectione consistens, de quo me alibi
vos monuisse scitis.

Quia verò domi legere & meditari non suffi-
cit, hinc ἀπεργάσεις scholasq; publicas sæpissimè
visitavit *Hutterus*, & imprimis ad pedes *Pappi*,
Theologi illius profundi & constantissimi, fre-
quenter sedit, totq; lectiones manu propriâ ex-
cepit, quot ego vix centesimum è vobis audire
vel posse vel solere crediderim. Plurimi enim,
nunc gaudent esse αὐτοδίδακτοι, & nescio quo su-
perbiæ œstro rapti, probrosum sibi ducunt, in
discientium subsellijs sedere, & ab ore docentium
pendere. Musæo adhærendum, scholæ publi-
cæ negligendæ & novitijs relinquendæ sunt, in-
ter hos si eminere volueris. *Sed* nolite falli & fal-
lere: Hic naturæ, hic artis ordo est, discere ante-
quam doceas, & docere alios, quod didiceris.
Plurimum ἐνεργείας includit vox viva, tenaciùs
hæret, suaviusq; afficiunt audita, quàm lecta. ἡ πίστις
ἐξ ἀκοῆς, ait doctor gentium; Audire ergo qui re-
nuunt, hi & veræ fidei, & solidæ sapientiæ pro-
fectum sibiipsis temerè intercludunt, adeòq;
manent αὐτοδίδακτοι, quia voluerunt esse αὐτοδίδακτοι.
Vos qui sapitis, rem aliter gerite, & ad minimum
diebus singulis unam veteris, unam novæ Scri-

Frequens au-
scultatio lecti-
onum.

Rom. 10. 7. 17.

ptu

pturæ interpreti horam tribuite: Non poenitebit scio: Ego sponsor ero, non fallax, fructum inde si non statim, tamen paulatim, vos reportaturos esse longè uberrimum.

Cum publica verò auscultatione conjunxit *Hutterus* piarum συζητήσεων exercitia, & de fundamentis solidis maturè sibi prospexit, quibus & veritatem propugnare, & contradicentes quosvis refutare masculè posset. Novit enim, quòd accuratus Theologus non tantùm διδασκλκός, sed etiam ἐλεγκτικός esse debeat: differendum est *tum* πρὸς ἀληθείας de veritate, inter consentientes: *tum* πρὸς ἀληθείας pro veritate, inter adversarios. Agricolaë est, non solùm optimam sementem facere, sed unâ infelix loliū sterilèsq; avenas evellere: sic Theologo incumbit, & sanam doctrinam spargere, & falce veritatis errorum sarmenta reseccare, in quâ curâ *Hutterus* semper fuit intētissim⁹.

Et quidem hætenus cum ipso *Argentina* fuimus, vbi per integrum substitit decennium, quia non ignoravit, labore quæri, & constantiâ comparari doctrinam solidam. Non fructum faciet planta, quæ sæpè transfertur: Ita parum proficiunt, qui migrationum & novitatum cupidi, in nulla subsistunt Academia.

Exacto autem illo decennio, primùm *Lipsiam*, post *Heidelbergam*, & tandem *Jenam* se contulit

Exercitia disputationum.

Promotio
Hutteri Do-
ctoralis.

Vocatio "VVi-
tebergensis.

Dona Hutteri.

tulit, ubi sementem diu & laudabiliter factam, o-
pima tandem messis excepit. Anno enim ætatis
trigesimo primo, gratiæ *nonagesimo quarto*, Ia-
nuarij die *decimo quinto*, Summos in Theologia
honores, & axioma Doctoris magna cum laude
adeptus est, postquã Collegio *ἱερολογύτων* Ienensi,
in rigoroso examine alijsq; exercitijs abundantis-
simè satisfecisset. Ab illo tempore magis magisq;
coepit inclarescere, & juventuti literariæ privatis
lectionibus & disputationibus plurimùm prodes-
se, donec jussu & voluntate *Serenissimi Proele-
ctoris Saxonie*, Ducis *Excelsi & pientissimi*, cu-
jus memoria sit in benedictione sempiterna, per
publicas hujus Academiae tabulas ad capessen-
dam professionem Theologicam quartam, *no-
nagesimo sexto anno*, solenniter evocaretur. Jam
tum enim innotuerat ejus eruditio & larga do-
norum copia, quam ex divina benedictione ma-
nu acceperat plenissimã.

Præditus enim fuit *singulari acumine judicij*,
quo obliquum à recto, à vili pretiosum facile
discrevit. Instructus fuit *insigni dexteritate* in
rebus expediendis, quam ubiq; testatam fecit, si-
ve Inspectorem Alumnorum Electoralium; sive
Visitatorem scholarum illustrium, sive Adfesso-

rem

rem in sacro Consistorio; sive Seniore in Academicis deliberationibus ageret. Ornatus fuit *eximiâ eloquendi facultate*, ut quæ concepisset animo, aliosq; docere vellet, ea & promptè & eleganter valuerit proferre.

In publicis prælectionibus quàm fidelis, quàm perspicuus, quàm fuerit accuratus, noverunt omnes, qui illum sive Concordiæ formulã, sive Locos cõmunes enarrantem, magno concursu, non sine admiratione fructuq; maximo audiverunt. Imò cognoscet, gratoq; animo leget omnis posteritas, in cujus usum plenior illa & nervosa controversiarum ferè omnium pertractatio, longè prolixius ab ipso concepta, quàm à vobis excepta, publicis typis brevi exscribetur.

Sinceræ & *γνησίως* Lutheranæ, quàm olim, ex pientissimis præceptoribus hausit, doctrinæ fuit amantissimus, & hinc à novitatum studio longè alienissimus. Audivistis ipsum sæpiùs inculcantem, quòd mutato genere loquendi, mutetur genus docendi; *Et qui fingit nova verba, simul nova dogmata gignat.* Audivistis ipsum, & Calvinisticas strophas, & Iesuvviticæ nugas cum singulari Zelo refutantem, & adversus seductiones callidas singulos præmonentem ac

F

præmu-

præmuniētē. Audivistis ipsum graviter taxan-
tem eorum prurium & petulantiam, qui vel cla-
rissima Scripturæ dicta perverterent, more Pho-
tiniano; vel terminis insuetis barbarisq; disputa-
rent, more scholastico. Eō enim proh dolor, res
Academicæ redierūt, ut à quibusdam revocanda
censeatur Theologia scholastica, illa nimirum
Theologia, quæ est ignorantia veritatis & inanis
fallacia, quæ perplexis quæstionibus & obsoletis
vocibus ceu spinis abundat; quam Lutherus fi-
diq; parastatæ tantis laboribus, tantoq; cum fru-
ctu ex scholis & Ecclesijs nostris eliminârunt.
Caveamus, *Amici mei*, venenum hîc latet, quod
leviter admissum, per universum Ecclesiæ corpus
se se diffundet, omnemq; veritatis lucem penitus
extinguet. Custodiamus fidele purioris fidei
depositum, quod Hutterus noster nobis incor-
ruptum reliquit, quod in scriptis ejus & numero
plurimis, & rerum pondere nobilissimis luculen-
ter possunt intueri omnes, qui sibi suâ sponte o-
culos perstringere noluerint.

*Scripta Hut-
teri.*

Nec enim suis tantum auditoribus inservire
studuit: quin totius Ecclesiæ curam semper ha-
buit fidelissimam, eiq; laboranti ut subveniret,
nullis laboribus pepercit. Gravissima est & in-
tricata de communicatione idiomatum, deq;

omni

omnipræsentia mysterio controversia: Evolve *Sadeelem Hutteri Elenchomenon*, omnes profecto nodos solutos, & tricas invenies explicatas.

Cor & anima Papatus *Missa* dicitur, cum *Missa Babylon stat q, cadit q, sua*; unde quidam religionem Pontificiam ita depinxit, ut ejus caput sit *missa*, venter *purgatorium*: Percurre libros de *sacrificio Romanensium missatico*; Et Papatus caput convullum, cor Confossum & exanime videbis.

Captiones Calvinisticae & fraudes practicae, quibus per cuniculos agunt omnia, non omnibus cognita fuerunt haecenus, & propterea non paucos ex simplicioribus captos, seductos novimus: Verum uterq; *Calvinista aulico-politicus* tam aperte illa fallaciarum mysteria revelavit, ut quisquis adhuc non videt, caecus; quisquis videt, nec laudat, ingratus; quisquis laudanti reluctatur, insanus merito censerit debeat.

Post Deum Deiq; verbum vix pretiosius habent *κεφάλιον* nostrae Ecclesiae, quam aureum illum, *Sanctae Concordiae* libellum, per quem in salutari veritate erudimur, & in necessaria unitate fidei conservamur, ut credentium velut unum cor & una sit anima: quam felicitatem nobis invidens *μὴ εἰς τὴν χυτῆς* Satan, modis quamplurimis angustum illud

σύμβολον suspectum reddere conatus est, nunc doctrinam ipsam falsitatis, nunc processum iniquitatis insimulando. Sed utramq; calumniam, Hutterus noster *tum* per Explicationem solidam, *tum* per Concordem Concordiam ita feliciter retorsit, ut siue quis soliditatem doctrinae, siue historiae veritatem aveat cognoscere, plenissimam utrobique instructionem adipisci possit.

Diu desideratum est breve & perspicuum, *vera fidei Compendium*, in quo praecipui articuli continerentur, & ipsis ut plurimum Scripturae Concordiaeq; verbis explicati proponerentur: Confectum id dedit Hutterus noster, & tanto quidem dedit cum applausu, ut in omnes Electoratus Saxonici scholas auctoritate publicâ introductum sit.

Theologum oportet non tantum puritatem fidei propagare, sed unâ salutare vitae regulas praescribere, quia Christianismus utrumque, & fidem orthodoxam, & vitam Deo placentem complectitur: Quid verò in monendis, & ad pietatem excitandis animis praestare potuerit Hutterus noster, vel sola *Meditatio crucis*, quae homilias in historiam Passionis continet, luculenter evincit.

Ulti-

Ultimum Spiritus Calvinistici stratagema est *blanda fraternitatis oblatio*, aut si denegetur illa, Syncretismi tantum alicujus & mutuae tolerantiae promissio, quam vulpinam Pareus in suo *Irenico*, vel potius *Erinico* tot quaesitis blanditijs, tot cincinnis Rhetoricis exornavit, ut vel ipsam pacem & sanctitatem calamum ejus gubernasse sint qui opinentur. Sed distinguant, qui decipi nolunt, inter finem apparentem vel praetensum, & verum vel realem. Praetensus syncretismi finis est, melleum nomen concordiae & unionis contra Pontificios: Verus autem & realis non alius, quam *Cohibitio Elenchi Ecclesiastici*, suppressio Lutheranae *ορθοδοξίας*, liberior disseminatio Calvinianae haeresis, fraudulenta irruptio in pactum Passaviense & confessionis Augustanae societatem, quo consilio nullum esse vel nocentius vel fraudulentius, tam solide Hutterus in *Irenico* verè Christiano demonstravit, ut meritò pij quivis hoc ipsi nomine gratias agant immortales. Verè fuit hæc Cygnea cantio, quâ suam in fide constantiam, suam erga fideles curam providam obsignavit, totiusq; vitæ curriculum conclusit, & ad præmium sese præparavit capessendum.

1. Cor. 9. v. 24.

2. Tim. 4. v. 7.

Obitus & aetas
Hutteri.

Matt. 25. v. 21.

Apoc. 19. v. 1.

In stadio hinc currimus, quo rectè emēso *βραβείον* apprehenditur: In castris, in militia stas, quamdiū hinc vivitis. Bonum igitur certamen certate, cursum fideliter consummate, & fidem servate semper illæsam: In cœlis reposita vobis est corona justitiæ.

*Vita quid est, nisi pugna? Datur post fata triumphus:
Pugnandum, ut vincas, vince, triumphus adest.*

Vicit fortiter, vicit omninò post diuturnam militiam Hutterus noster. Apprehendit metam post cursum, laudabiliter exactum. Pugnavit ut doctor Ecclesiæ, per *viginti* professionis Academicæ; Cucurrit, ut Christianus, patriam quærens, per *quinquaginta & tres* ætatis annos. Advenit tandem dies speratæ victoriæ, dies optatæ coronationis, dies nimirum Octobris *vigesimus tertius*, quo ipsum Rectoratus quarti axiomate recens insignitum, febrili verò intemperie exhaustū, nobis tamen nihil tale metuentibus, è statione sua cœlestis Imperator ad palmam accipiendam placidè evocavit, & procul dubio in mortis articulo constitutū, verbis Evangelicis suavissimè erexit: *Euge serve bone: super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui. Intravit ergo, intravit ocyus, satur laborū, plenus lætitiæ, quā inter choros beatorū æternūm perfruitur, & carmen Apocalypticū magnā hilariq; voce cum electis omnibus decantat: Halleluja, salus & laus, & gloria, & virtus, Domino Deo nostro, Halleluja.*

Vos autem ejulate mecum, *Auditores*, quos aliqua tantæ cladis cura vel saltem leviter tangit. Hutterum cum amisimus, non Theologum è trivio, sed veritatis doctorem fidelissimum, & vindicem constantissimum, imò Theologorum coryphæum & caput Collegij nostri, adeoq; non unum bonum in uno, sed magnam bonorum copiam amisimus.

Iustus perit, & non est qui attendat in corde suo; Viri misericordia colliguntur, & non est, qui intelligat. Attendite, intelligite vos saltem, qui adestis. Fidos doctores eripi, argumentū est iræ divinæ, prodromus est futuræ pœnæ, indicatiū est gravissimæ ruinæ. Nutat omninò templum mysticum, nutant Ecclesiæ & Academia: Franguntur columnæ, diruuntur tabulæ: Et interitū imminere nondū animadvertitis? Vnicus hic annus quot Theologorum tristissima vidit funera? *Hutterum* luget nostra *Witteberga*: *Weinrichium* Lipsia: *Fabrum* & *Crugerium* Stetinensis Ecclesiæ: *Pelargum* tota Marchia, quæ per apostasiam spiritualiter mortuū esse, quis ignorat?

Malorum omina hæc sunt, *Amici*, & omina quidem non fallaciā; De nobis actum esse videtur, nisi studijs indefessis, devotisq; precibus succurratur. *Erigite vos*, per Deum immortalē, *Studiosi juvenes*; erigite vos, & ne permittite, ut ignaviā vestrā præclarum Lutheranae fidei depositū evanescat. Videtis, quāta Ecclesijs clades inflicta; Videtis, quanta Theologorū excellentium sit ubiq; penuria. Evigilate tandem è somno pigritiæ; Renūciate vanitatibus mundi, & hoc agite, vt per vos aliquādo lacunæ toties factæ suppleri possint. Succurrite nobis, & pleniori animo numeroq; scholas sacras visitate: Ni faciatis, *Ecco templum* Domini, quo nihil nobilius; *Opus* Domini, quo nihil salutaris; *Anima* Domini carè ab ipso redempte, quibus nihil pretiosius, per vos, *per vos*, inquā, & per socordiam vestrā turpiter negliguntur. Nihilnè ipsius Dei gloria, nihil tanta Ecclesiæ miseria, nihil tot piorū suspiria, vos cōmovebunt?

Tu ergo *moveas* & *permoveas* inertes animos. O Deus, O Pater benignissime, cuius Spiritu moventur omnia. In periculis constituti sumus: Quoniam fugiamus ni-

Esa. 57. v. 1.

Fridericus Faber, SS. Th. D. & Pastor ad D. Nicolai. Iohannes Crugerius SS. Th. D. & Pastor ad D. Iacobi.

Admonitio ad Studiosos Theologia.

Oratio ad Deum.

li ad

2679
Os. 6. v. 1.
Matth. 9. v. ult.
August. c. 2. Soliloquio.
 Ad te, *O Deus noster*? Tu lacerasti: Non sanabis? Tu percussisti: Non curabis? Esto nobis in Deum protectorem, & in locum refugij, ut salvos nos facias. Ege- ni & pauperes sumus, *O Domine*; Adjuva nos & defen- de; Conserva vineam, quam inter nos plantasti, ne vel lupi Papistici, vel vulpes Calvinisticae eam devastent. Messis multa est, sed operarij pauci. Rogamus ergo te messis Dominum, ut extrudas operarios, multosq; constantes Hutteros substituas. Ecce Domine, quàm magna est miseria in qua sumus, nec timemus. Quàm grandis calamitas, quam patimur, nec dolemus, & ad te nō clamamus. *Clamabimus ergo, Domine, antequam transeamus. Adjuva* nos fortitudo nostra, per quam sublevamur; succurre virtus, per quam sustentamur; veni lux, per quam videmus; appare gloria, per quam gaudemus; appare vita, in qua vivimus.

C. 10. Meditat.

Fatemur quidem, quòd digni non simus, quos tu diligas; sed certè tu non es indignus, quem nos diligamus. Indigni sumus tibi servire, sed tu non es indignus servitio creaturæ tuæ. Da ergo nobis Domine, unde tu es dignus: sic nos erimus digni, unde sumus indigni. Concede nobis, sic custodire, & regere, & finire vitam nostram, ut in pace dormiamus, & in te re- quiescamus. Præsta nobis in finem, ut nos excipiat som- nus cum requie, requies cum securitate, securitas in æternitate.

O Quando veniemus eò, & apparebimus ante faci- em Dei? Veni Domine, & noli tardare, Veni & visita nos in pace: Te colimus, Te adoramus, & hymnum glo- riæ tuæ canimus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus ex- ercituum*, & dicat omnis multitudo, Amen, Amen.

F I N I S.

107
 ME

Pom zb 7984, Qu

ULB Halle
002 266 644

3



tuat
ME





OK
249
50

ORATIO PA
DE VITA

LEONHART
SS. TH. DOCTOR

Witteb. quondam Profe
Octobris anno
piè de

In qua nonnulla de T
& studio ejus rec

viter in
Ipso die Concordiæ, q
Magno Luth

Habita VV
BALTH. MEISM
& Profe

16



Witteberg e, Sumptibus

14



16

